



CONSTANS, qui & Constantinus, Heraclij Constantini supradicti ex Gregoria, filia Nicetæ Patricij, filius, imperio potitur adnitente Senatu, vti dictū à me est, qui Martinæ scelus execrabatur. Hic dicitur etiam Constantinus tertius, qui valde dilectus ab auo Heraclio, Phocæ successore, magnisque honoribus functus, auitæ tandem impietatis hæres, Martinum Ro. Pontificem sibi aduersantem comprehendere iubet, in exilióque mori cogit. A Saracenis victus aufugit. Biennij ab eisdem induciis impetratis, Italiam petit, vt eam à Longobardis liberet: à quibus etiã victus, in suos conuertit irã, laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, & alia quædam pretiosa, reliquias hostilium prædarū atque incendiorum aufert: plúsque ornamentorum intra quintū diem vrbi detrahit, quàm barbari per tot annos: quicquid Romæ antiqui operis, signorumue fuit, in Siciliam secum asportat: vbi cum sextum annum agit, & auarè ac crudeliter tributum exigit, in balneis, à ministris, autore Mazese, interficitur, anno imperij 27. cœpit anno mundi 4605. à Christo nato, 643. Pom. Lat. Diaco. lib. 8. Eгна. lib. 2.

CONSTANTINVS, natus maximus Constantis prædicti, post patrem imperat. Hic in Siciliam venit, vltúsque Miziium, siue Mazesen, tyrannum, & cædis paternæ conscios, bellū in Saracenos annos septem terra marique feliciter gessit: vnico congressu 30000. cecidit: tributarios fecit. Ignis sub aqua ardet, Callinici inuentum: quo valde terrentur hostes Arabes. Bulgari trans Danubium derepente bellum ostentant: inhonesta pace, Mysia ad inhabitandum datur, cum annuo tributo. imperat annis 17. P'ogonatus dictus, id est barbatus, quòd barbatus è Sicilia rediisset. Egn. lib. 2. Dia. li. 8. hic è palatio præcipitatus interiit.